



# DANIELIS RO.

GERII ALBIMONTANI  
DE LAVDIBVS ANTVERPIAE  
ODA SAPPHICA

Ad amplissimum & ornatiss. Virum D. Io-  
hannem van Houe.

*Accesserunt etiam alij eiusdem  
versiculi quidam.*




ANTVERPIAE,  
Ex officina Christophori Plantini,  
M. D. LXV.

# DANIELIS RO.

GERII ALBIMONTANI  
DE LAVDIBVS ANTVERPIAE  
ODA SAPPHICA

Ad amplifsimum & ornatifs. Virum D. Io-  
hannem van Houe.

*Accesserunt etiam alij eiusdem  
versiculi quidam.*



ANTVERPIAE,  
Ex officina Christophori Plantini,  
M. D. LXV.

AMPLISSIMO ET ORNA-  
TISS. VIRO D. IOHANNI  
VAN HOVE.

DVM procul à patria laribusque remotus amicis,  
Hic maneo vestri captus amore loci:  
Mensis en adueniunt Jani (vir summe) Calende,  
Dùm reuocat proprij Cynthius orbis iter:  
Et tibi iam grati mittunt noua dona propinqui.  
Quæ tibi sint anni candida vota noui,  
Ipse etiam loculis capias hæc munera nostris,  
Munera sunt animi quæ pia signa mei.  
At tibi dent alij grauioris dona valoris.  
Ipse dabo vena munera parua mea.  
Sume tibi patrie cantatas carmine laudes:  
Hæ (scio) permagni muneris instar erunt.  
Et tibi magna ferant alij, nos chara feremus:  
Quando nihil charis dulcius esse potest.

Tui obseruantiss.

Daniel. Rogerius.

Danielis Rogerii Albimontani  
de laudibus Antuerpiæ, oda  
Sapphica, ad amplifs. virum  
D. Iohannem van Houe.



*Vlcis antiqui soboles Brabonis,  
Mercium & custos, sita propter  
vndas  
Scaldis, Vrbs, salue miki circu-  
latum*

*Clara per orbem*

*Mi tuos cantet lyra blanda mores,  
Dietet & dignas pia musa laudes:  
Sic eas spargam numeris per ampli*

*Climata mundi.*

*Audiet vestrum decus Iber, ingens  
Audiet Ganges, fugiat nec ipsos  
Quas opes diues teneas remotos*

*Orbe Britannos.*

*Laudibus nata est meritis Thalia;  
Cantat hæc Diuos celebrat virosque*

*A 2*

*Nobiles:*

Nobiles: tanta quoque nec gravatè

Serviat Urbis.

Vnde sed clarè precor Urbis almas

Ordinar laudes? medium mihi quod

Rebus in tantis erit, ultima & que

Meta canenti?

Num canam merces prius, an celebrem

Candidos mores dubito, vel artes,

Vel domos celsas, quibus ipsa cœli

Culmina tangis?

An veham iustis numeris Senatus

Inclyti famam, moderetur Urbis

Pace quòd frenos placida, regatque

Legibus equis?

Non enim præstas reliquis inani

Urbibus fama: tua fama vero

Est minor: summas superas beatas

Dotibus Urbes.

Artibus Graios superas peritos,

Mercibus Vincis veterem Corinthum,

Es potens, nec te facile antecellit

Diuitijs vrbs.

Namque queis tandem superare donis

Vlla

Vlla te possēt, foveas benigno  
Cū sinu quicquid recipit capācis

Ambitus orbis?

Quicquid Eoi parat alma Soli  
Terra confinis, videt aut nigrescens  
Quicquid occasus, capis ipsa quicquid

Conspicit Auster.

Te suis visit Tagus ipse donis  
Aurifer, visit ruber Indus, ad te  
Mittit & merces Tanais niuosis

Montibus ortus.

Scilicet cunctis tuus hic amœnus  
Est situs, cunctis populis benigna  
Terra, nec quemquam nisi valde dirum

Respuit unquam.

Hūc Scythæ campis cuperent remotis  
Currere, insanis data si potestas  
Esset: iniusti valeant, loci nec

Mœnia tangant.

Italus frequens, aliæque cultæ  
Hūc fluunt gentes varijs recinctæ  
Vestibus, linguis varijs, & urbem

Moribus ornant.

Hùc Arabs cursum facit, hùc odores  
Ille transmittit liquidos: Thraces hùc  
Confluunt, nec non subit hanc remota

*Antipodum gens.*

Cumque iam templum Statuas & aedes  
Fulgidas cernunt, & opes superbas,  
Quantus exclamant, bone, floret ista

*Orbis in vrbe.*

Forfan & Roma veniens Quiritum  
Quispiam, structam modo sumptuosam  
Curiam miratus, & alta fossis

*Mœnia cincta,*

O vices inquit varias, & atram  
Seriem fati, veteres en vrbes  
Dum ruunt, vrbs hæc viget una prisca

*Æmula Romæ.*

Hoc idem dicit Siculus, refert hoc  
Tuisconis gens, & merito: columnas  
Si neges, cernas, rigidoque structas

*Marmore sedes.*

Aedium non hæc numero vel armis  
Est minor Roma, licet illa plures

*Audiat*

Audiat laudes, tuleritque summos  
Orbe triumphos.

Quam precor longas video plateas  
Linea ductas, Polyclete amussi  
Et tua? non hic male, plus vel a quo  
Angulus extat.

Latitent muros alij valentes,  
Et suas tollant super astra fossas,  
Mœnibus cineta es validis, profundis  
Claraque fossis.

Ipse, qui Rheni glacialis urbes  
Albis & Mosæ loca, qui Visurgis  
Oppida atque arces adij celer quas  
Sequana radit,

Non huic vidi similem, præalto  
Siue quis fossas fluuio madentes  
Æstimet secum, vaga siue quisquam  
Mœnia spectet:

Siue quis spectet rapidum profundi  
Fluminis cursum, procul aduehentem  
Mercium formas varias, superbum &  
Æquoris aestu:

Scaldidos ne tu fluuio strepentem

Præse-



Præferas Tybrim: videas vtrunque  
Hunc ferēs amnem, vocitabis illum

Protinus æquor.

Hūc suas transfert aliquando nymphas  
Tethys, & ducens choreas, & urbem  
Intuens, tales similesue profert

Pectore voces:

Dulcis ô salve soboles & inter  
Filiis nobis adamata, Scaldā,  
Scaldā, sed nunquāmi mihi plus sereno hoc

Tempore culta.

Non rigas urbem tenuem, sed orbem  
Maximum, cunctas & opes tenentem:  
Vix meis cerno magis hac beatam

Partibus urbem.

Quā diu talis colit urbs amœnas  
Has tuas ripas, eris ipsa grata  
Tam diu, nec te fluuius vigebit

Clarior vllus.

Magna sunt cuncta hæc, tamen ista tantum  
Nil moror: cultas mage miror artes,  
Miror & mores varijsque pubem

Dotibus auctam.

*Efferos non hæc sequitur Cyclopes:  
Barbaros longè fugit illa cætus:  
Mundus ornatus placet, & decora  
Corpore vestis.*

*Nec studet Baccho nimium, terit nec  
Tempus, aut perdit Veneris bibendo  
Poculum, incumbens potius labori  
Seria tractat.*

*Et velut pigra metuens senectæ  
Dùm timet formica hiemes, aceruum  
Farris ingentem populat, futura &  
Prospicit horæ.*

*Non secus ciues sibi tempus ante  
Prouident, quærun't & opes, fruuntur  
Commodè & partis: nec auarus illis  
Ardor inhaeret.*

*Arte sed præstant reliquis, nec illos  
Vinceret pictis tabulis Apelles:  
Doctus haud illis melius Lysippus  
Duceret æra.*

*Tonsiles texunt etiam tapetas,  
Et parant aulea Tyros quibus vel  
B Inuidet,*

Inuidet, tractant dociliq̄ue molles

Pectine telas.

Hic parat naues pelago peraptas,

Turbidos fluctus secat ille puppe

Cypria, querens per opes, per undas

Premia coepti.

Ergo dùm cuncta, quibus illa abundant,

Huc vehunt merces, reuehunt vicissim

Urbis hinc merces, decorant & orbem

Mercibus Urbis.

Quid? sed ingentes reticebo dotes

(Virgines) vestras? scelus hoc Dione

Diceret: nam vos superatis omnes

Ore puellas.

Casta cùm saltat comites Diana,

Arbitror tales habet ipsa secum

Virgines, vel cum nemorosa cultos.

Fertur in agros.

Vos sonos omnes variasq̄ue linguas.

Scitis arguto modulo referre,

Gallice nec vos fugit aut Iberæ

Forma loquela:

Laude.

*Laude sed crescente mihi calor ne  
Crescat, hinc vestras resonare laudes  
Desinam: vos o meliore digna.*

*Carmine dici.*

*Sola tam pulchra fuit urbs caterua hac  
Digna, vos sole hac velut vrbe digna:  
Equa sint vobis, faueant & vrbi*

*Numina Diuum.*

*Tu sed urbs vasti pia fama mundi  
Flosque Belgarum viridis priorum:  
Consulas aequi peto prima nostra*

*Munera vena.*

SEQVNTVR ALIA QVAEDAM EPI-  
GRAMMATA EIVSDEM.

AD

ORNATISSIMVM VIRVM D. ABRA-  
HAMVM ORTELIVM ANTVER-  
PIANVM, DE TRIBVS CLARISS.  
EVROPAE EMPORIIS.

*Nulla per omnium regio quod praestitit orbem,  
Vrbis id unius nunc dare fama potest,*

B 2

*Namque*

Namque vbi mundanas regio dispersa per oras  
Nulla tenet cunctas quas habet orbis opes:  
Omnia nunc donant totius commoda mundi  
Tres vrbes, quarum singula cuncta capit.  
Vrbs Venetum medius pelagi fundata procellis  
Adriaci cunctas continet orbis opes.  
Quicquid habet Getrio tellus subiecta tyranno,  
Quicquid & Hesperius conspicit, illa tenet.  
Sic quoq; vedit opes, cunctasq; vrbs Belgica merces,  
Candida proiecta quæ gerit arma manus.  
Vna beat cunctis præclarum mercibus orbem,  
Et tenet Eous quicquid & Indus habet.  
Nec minus armigeri tenet vrbs antiqua Britanni  
Londinium, Thamesis consita propter aquas.  
Quicquid habet tellus Orienti subdita soli,  
Quicquid & auriferi ripa beata Tagi:  
Omnimodas merces vrbs continet ista, supremis  
Vrbs bene calicolis cognita, nota viris.  
Talia cum celebres tres vrbes commoda præsent,  
Orbes, non vrbes, dicere iure queas.

## AD EVNDEM.

DE MAGNIFICENTIA VRBIS  
HANDOVERPIANAE.

*Prisca suis olim florebat Roma trophæis,  
 Nobilis & claris adibus illa fuit.  
 Omnia sed longi detriuit temporis ævum,  
 Nil sinit eximium quod latuisse diu.  
 Nec iam mira videt sæcli monumenta prioris  
 Tempa, vel è Parisi cæsa theatra iugis:  
 Vixque triumphales referunt iam signa columnas,  
 Vix Capitolini lucida templa Iouis.  
 Scilicet antiquas delerunt tempora moles,  
 Fermeque cum Circis obruta Roma iacet.  
 Sed bene succedit, quod iam noua Roma resurgat  
 Scaldis ubi refluo flumine voluit aquas.  
 Cerne graui pulchras surgentes marmore moles,  
 Cerne triumphalem ciuica tecta domum:  
 Omnia Romanum dices spirare nitorem,  
 Seu mores spectes artificisue bonos.  
 Quod nisi me cupide fallunt præsagia mentis  
 Non erit Ausonia Belgica Roma minor.*

DE FREQUENTIA OMNIUM GEN-  
TIVM IN IANIMEDIO, VVLGO  
DIE BURSE.

*Cæsarei cantent alij spectacula Circi,  
Et celebrent miris Amphitheatra modis,  
Quòd brevis omnigenas hæc audiat area gentes,  
Pieris ingenue voce canenda fuit.*

DE EODEM.

*Inclytus in media situs est locus vrbe Brabonis,  
Qui fani mediij nobile nomen habet:  
Nec tam seposita est gens vlla vel vrbe remota,  
Quotidie hùc que non bisue semelue volet.  
Nam notat undecimam cum gnomon tēporis horã,  
Sextaque labentem cum trahit hora diem,  
Omnigenas denso videas huc currere gentes  
Agmine, quas claro Phœbus ab axe videt.  
Hùc venit Anglorum genialis turba, locumque  
Hunc subit, hæc medium gens tenet una locum,  
Italus à dextris & ei coniunctus Iberus:  
Ambiguo stringunt atria prima pede.*

*Ambu-*

*Ambulat à leua quos gignit Gallia parte,  
Hac etiam Belgas cernere parte licet.  
Ante sed aspicias antiquo Tuiscone natos;  
Et quoscumque dedit Rhenus & Jster habes.  
A tergo Burgundus adest, fortisque Batauus,  
Et quos Arctoïis conspicit Vrsa plagis.  
Dissonus auditur rumor, locus ipse repletur  
Et variis linguis, vestibus & variis.  
O decus eximium, visu & mirabile cunctis!  
Orbis in exiguo maximus orbe viget.*

GEORGIO SCHROEGELIO SVO.

*Belgica tam cupida decantas corpora laude,  
Grande puellarum sic celebrasque decus,  
Ut tibi presentem Paphiam fulsisse Dionem,  
Et tua sub pedibus colla habuisse putem.  
Torserat hæc veteres aliquando cura poëtas,  
Te quoque si torset quo tuearis habes.*

EIDEM.

*Cum caneret digna Belgarum laude puellas,  
Schraægelius, Grauis has veheretque rotis:*

B 4

Dicitur



*Dicitur ornata Venus arrisisse caterua  
Laudibus, & tantis succinuisse modis:  
Phæbus, ait, donet Lauri tua tempora fronde,  
Ipsa dabo capiti myrtea ferta tuo.*

DE CVRIA NVPER EXTRVCTA,  
SEV DE DOMO CIVICA, AD OR-  
NATISS. VIRVM D. EMANVELEM  
DEMETRIVM HANOVERPIA-  
NV.M.

*Edita Pyramidum Pharius miracula Nilus  
Iactitat, & turres rex Ptolomæ tuas:  
Clara leuat muros Babylon super astra superbos,  
Structa Semiramia & mœnia firma manu:  
Et vehit insigni pharetrata laude Diane  
Vrbs Ephesi Lydio templa locata solo.  
Cares ad æthereum Mausoli tollit Olympum  
Regia mirificis structa sepulchra modis.  
Miraturque Rhodos Solis Phæbæa Colossum,  
Et Iouis Elæi claret ubique domus.*

*Te quoque miretur vastus domus inclyta mundus,  
Orbis & antiquis hoc quoque iungat opus.  
Hac domus ingenue moueat miracula menti,  
Sola vel athereis Curia digna locis.  
Non tibi vel Rhenus similem, vel Sequana cernit,  
Structura hac meritò Scalda superbit ouans.  
Has quicumque videt constructas arte columnas,  
Quisquis & has statuas, nobile cernit opus,  
Et videt antiqui noua qui simulacra Brabonis,  
Atque alias fusi quas habet æris opes,  
Non dubitet priscis illas conferre figuris,  
Et super ascriptis commemorare bonis.*

*DE INSIGNIBVS VRBIS,  
AD EVNDEM.*

*Arx vetus ad refluxum quondam fuit edita Scaldim,  
Quam Brabona homines incoluisse ferunt:  
Hanc quicumque cauis transirent nauibus, illis  
Dicitur immeritas eripuisse manus,  
Ereptasque manus iecisse in fluminis undas,  
Et vetus hinc urbem nomen habere suum.*

*Hinc*

Hinc quoque sic multis visum, pendentia sumunt  
Vrbs modo quæ clypeis inserit arma suis.  
Nil moror: hæc etenim poterit res vera videri,  
Hic quæ aliquam poterit rumor habere fidem.  
Si tamen & inueni liceat proferre, quod ipse  
De tantis etiam dicere rebus auet:  
Non puto commotos taliratione fuisse,  
Qui primùm clypeis hæc posuere suis.  
Sed quia nulla diu, solet vrbs, aut firma manere,  
Mœnibus & firma ni tuare manu:  
Hac puto prudentes motos ratione, coruscis  
Infererent clypeis mœnia cum manibus.

DE SCALDI GLACIE CONSTRICTO  
INITIO ANNI. 1565.

AD EVNDEM.

Scaldis in Hannoniæ sælicis partibus ortus,  
Vrbibus & vastis undique claret aquis.  
Flumen ei magnum rivis quæ fluentibus auctum  
Æquoreis etiam sollicitatur aquis.  
Fertur is insano per Belgica iugera cursu,  
Et tumido riguos gurgite radit agros.

Sic quæ

Sicque vagos glomerat fluctus spirantibus Austris  
 Equoris, haud mitis voluat ut amnis aquas.  
 Quos non ille cauos montes attollit aquarum,  
 Tollit ut insanum fluctus ad Astra caput:  
 Hic tamen ipse fuit glacie constrictus acuta,  
 Tempora cum brumæ frigidioris erant.  
 Quemque prius ratibus tantum transire solebant,  
 Tunc etiam pedibus traiciendus erat.  
 Mille simul plano vidisses fidere Scaldi;  
 Præbuit & firmas omnibus ille vias.  
 Caupo meri dotes per strictum frigore flumen,  
 Vendidit, & libros bibliopola suos.  
 Ipse ego dulce bibi vinum, librosque coëmi,  
 Qua medio Scaldis tramite strictus erat.  
 Scilicet hybernas glacies constrata per undas  
 Marmoris in morem tota rigentis erat.  
 Hei mihi, qui toties Borealem spreuerat auram,  
 A Borea tandem victus & ille fuit.

Repone nisi, pro, nisi: Sequana, pro, Sequana: & pro stro-  
 pha 19. hanc. O vices, inquit, varias perennem & Ordinem  
 fati: veteres ut vrbes Corruunt.



Siegen vnges glantz hant  
 Tritt in die welt mit  
 Quei non die cruce  
 Tolle ut pulchra factus ad  
 His sunt ista  
 I am some  
 Quod non in  
 Tunc etiam  
 Nihil  
 Tactus  
 Causa  
 Vnde  
 Iste  
 Que  
 Sed  
 Aliter  
 Hoc  
 Ad

Et non  
 que  
 sed  
 et



